DE DOLORIBUS COLICIS DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM...

Giuseppe Arnaboldi, Camillo Platner

DE

DOLORIBUS COLICIS

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS FACULT. MEDICAE DIRECTORIS, SPECTABILIS D. DECANI, NEC NON CLARISS. AC CELEBERR. D. D. PROFESSORUM

AUSPICE

. D.RE CAMILLO PLATNER

MEDICINAE LEGALIS ATQUE POLITIAE MEDICAE P. O.

PRO

Doctoris Medicinae Laurea,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS

IN C. R. UNIVERSITATE TICINENSI

Anno M DCCC.XLIV

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

publicae disquisitioni subumittit

ARNABOLDI JOSEPHUS

CASSANI ADDUAE.

TICINI REGII
Ex Typographia Bizzoni
1844.

ALL' AMICO CONDISCEPOLO

LUIGI CAVANA

QUESTO PRIMO TENUE LAVORO

IL GIORNO DI SUA LAUREA L'AUTORE

IN PEGNO D' AFFEZIONE

DEDICA.

PROEMIUM.

In animo jamdudum aliquid disserere versavi pro laurea capessenda; et hoc magis ut munus persolverem quam ut specimen aliquod praebere existimarem haud indignum et illorum, qui faciem meis praetulerunt studiis, et scientiae; cujus magno perstringor amore. Sed quo animo tot occurram oneri, quum tam exiguas meas vires sentiam; tam gravis tamque difficilis sit res; et tam brevis copia temporis mihi sit data? Certe si haec omnia spectassem, et magis a meo ingenio, quam a lectorum indulgentia consilium habuissem, deterritus reliquissem opus; imo etiam, nam fatebor, vix vix non destiti. Vero spes inveniendi argumentum, quod meo ingenio et meis studiis

par esset animum anxit. Mens quae incerta inter plurima artis medicae argumenta pendebat, tandem dissertationem pertractandam legit; et ego operi ipsi pro meis viribus haesi sperans si liberculus hic contemptu non notabitur, satis fore ut augurium bonum in difficili curriculo, meisque studiis summam.

DE DOLORIBUS COLICIS.

Omnes dolores abdominis aut intestinorum aliquantum vehementes (nam si leviores *tormina* potius dicuntur) generico nomine *colici* nuncupantur. Nomen *colicus* a graeca voce κωλον, originem ducit. Antiqui etiam dolores intestinales nuncupabant colicos vel iliacos pro uti insidebant in colon vel in ileo. Nostris temporibus tamen uno nomine utrique complectuntur. Dolores saepe, saepius in regiona umbilicali incipiunt, fixi sunt vel sedem mutant, pungentes, urentes, scindentes vel constringentes, continui aut remittentes nec non intermittentes evadunt. Prout ex una vel alia causa producuntur vel sustinentur exurgunt variae colicae species; nempe colica saturnina, vegetalis, saburralis, verminosa, calculosa, flatulenta et sic porro.

I. Colica metallica, dicta quoque saturnina vel pictorum, est illa quae excitatur per praeparata plumbi. Plumbum in organismum ingredi potest vel propter quorundam medicamentorum usum, vel per cutis absorptionem, vel per inspirationem, vel per potus ex aqua

a salibus plumbeis polluta, vel per dolum dum dapes inquinantur.

Symptomata. Doloribus obscuris et intermittentibus, raris alvi depositionibus et duris excretis annuntiatur aegritudo; in quibus molestiis aeger plures dies interdum hebdomadas ad sua officia incumbit, donec lectum petere cogatur. Morbo increscente, abdominis dolores ita intensi fiunt ut aeger gemat, ejulet, situm diversimode mutet, modo abdomini incumbat, modo supinus torqueatur. Consuete sub nocte cruciatus vehementissimi adparent, ita ut omnis somnus fugiat. Sub exacerbatione dolor eum terebrat, lacerat que, sub remissione tantumodo contrahit; centrum agnoscit umbilicum, ad vertebras lumbales protensus. Abdomen durum, modice pressum non sensile; sub rudiori tactu dolor augetur. Umbilicus retro agitur, testes ad anulum inguinalem appropinquantur, praesertim exacerbationis tempore. Constantissimum symptoma est alvi obstructio, quae interdum eo pervenit ut fortissimis laxantibus tolli non possit. Quin imo contractio intestini recti tantum gradum nonnunquam attingit, ut clysma adplicari nequeat. Faeces excretae sunt durissimae et caprinae. Appetitus prostratus, nausea, vomitus biliosus, lingua muco flavicante tecta, sapor amarus. Facies pallet, flavetque, lineamenta faciei magnam passionem exprimunt, superiores et inferiores

extremitates dolent, spastice contrahuntur et a crampis vexantur; non raro adest fabris cum pulsu duro, contrato, irregulari, et si etiam febris absit pulsus est durus, filiformis instar metallicum filum; sitis est intensa, inest quoque leve delirium; tremores, convulsiones, spasmi. Sensus externi offuscantur, mens imbecillis redditur, paralyses adparent extremitatum et vesicae. Mors tabida vel apoplectica contingit.

Facile hoc morbo laborant plumbarii, plumbi fusores, metallurgi, qui vasa terrea plumbo obducunt vitreo, figuli, pictores, tinctores, typifusores et omnes qui versantur ubi plumbum liquefit vel cum aliis metallis combinatur; ubi carbonas plumbi, vel minium in pulverem redigantur. Observatum fuit, certis anni temporibus plures hoc morbo adfectos fuisse; qnod autem ab operum variis temporibus modo majori, modo minori necessitata explicari potest.

Therapia. Contra colicam saturninam varii medici, variam therapiam commendarunt. Plurimi tantummodo sanguinis evacuationes et caetera antiphlogistica in usum traxerunt, sed ob malas sequelas banc methodum reliquerunt. Recentiorum nonnulli suasere ut cura cum emeticis vel purgantibus incipiatur, quam dein potus refrigerantes finiant. At nec haec methodus ad scopum bene respondat. Alii una cum emeticis et drasticis narcotica praescri-

bunt. Nos tamen ut sequamur curam potius rationslem imprimis, si adest status inflammatorius, , sanguinis evacuationibus generalibus et localibus, emollientibus interne et externe uti debemus. Sed colicae saturninae inflammatoriae reapse tales rarae sunt, et saepe characterem nervosum spasmodicum praebent. Si suspicio adest plumbum adhuc in intestinis morari, evacuantibus et antidotis ejiciatur. Horum ultimorum optimum sulfur merum considerari debet. Limonea sulforica quoque valde ex asse respondet. Gendrin plurime laudavit Sulfat. Aluminae ad drach. j. vel ij. Ad intestinorum rigiditatem et contractionem auferendum (quo facto saepius alvi obstructio amovetur) satis est abundans oleorum mitium usus; olei olivarum, amygdalarum dulcium, papaveris albi, quae vel mera vel in emulsionibus propinantur. Inservit quoque butyrum, lac, ejus serum, mucilaginosa, uti gummi arabicum, decoctum seminum lini, althaeae; hordei etc. Prosunt etiam pulpa thamarindorum et electuarium lenitivum. Recurrere oportet etiam ad illa remedia, quae ad nimiam sensilitatem obtundendam valent; et hic Hyosciamus suum locum tenet, qui si frustra adhibeatur, Opii herculeas opes implorare necesse est. Opium praeter quod sensilitatem deprimit, spasticas fibrarum musculorum contractiones solvit, et extra morem, alvi depo-

sitionem expedit; negligere neque debemus acetate morphii. Quum dictum fuerit de cura interna ad externam deveniamus. Externe cataplasmata emollientia, abdominis fomentationes, inunctiones olei chamomillae, olei hyosciami cocti cum campbora vel opio conjuncti, clysmata mucilaginosa oleosa bene conveniunt. Hic opportunum quoque erit exponere methodum tam celebratam Nosocomii Charitatis, quae consistit in alterno usu, purgantium, emeticorum et opii. Haec est methodus.

Nel primo giorno si prescrive un boccale di decotto di cassia, tre grani di tartaro emetico ed un'oncia di solfato di magnesia.

Nel secondo sei grani di tartaro emetico in otto oncie di acqua, da prendersi in due volte coll' intervallo di dieci minuti tra una mezza porzione e l' altra.

Nel terzo giorno un infuso sudorifero.

Al quarto si fa prendere la così detta pozione purgativa dai pittori, consisteute in

Infuso di senna otto oncie
Eletuario Diphoenix una dramma
Radice di Gialappa pul. uno scrup.
Sciroppo di Nerprun una dramma

Si ripete alla quinta giornata la ministrazione che si ordinò nella terza. Alla sesta come nella quarta. Ogni sera poi aggiungesi alla prescrizioni fatte il clistera anodino dei pit-

tori formato da vino uero libb. j. olio di noce onc. jv. teriaca dram. j.

In reconvalescentia ad fibram intestinorum consolidandam tonicis utendum, inter quae amara eminent. Si paralysis aliquorum organorum remaneret, camphora, naphtis, extracto rhois radicantis, valeriana, sulfo zinci, praeparatis ammonii, aromaticis, vesicantibus, nec non electricitate abigatur. Ad praecavendam colicam saturninam, in nonnullis fabricis praesertim in quibus plumbum carbonicum paratur, statutum est, ut nemo ultra mensem in iis laboret, sed eas deserat, et post certum temporis intervallum iterum intret. In his fabricis aeris renovandi maxima cura habenda, neque laborantibus in iisdem commedere et dormire concedendum. Multum juvat usus butyri, et limoneae mineralis, quod longa experientia comprobavit.

II. Colica vegetabilis vel Pictonum. In nonnullis Galliae, Angliae nec non Austriae superioris regionibus summopere occurrit; nam et ibi vini facile acidescunt et mos est valde uti cerevisia quae etiam facillime acidam ad fermentationem transit, et mercatores, quo aciditatem potionis corrigant, ad praeparata plumbi confugiunt, uti essent acetas saturni, carbonas plumbi psaesertimque protoxidum plumbi vel litargyrium; quia saporem concilient dulcem.

Iisdem sub symptomatibus quam colica saturnina prodit.

In principio curae bene praestant absorbentia uti magnesia; caeterum omnia remedia quae colicae pictorum generatim opponuntur et contra vegetabilem suum locum teneut.

III. Colicae saburrales. Saburrae possunt esse vel acidae, rancidae, biliosae aut mucosae; et sicuti symptomata diversa inducunt et etiam modificatioues in cura requirunt sic praetium operis erit singillatim eas pertractare.

Colica ex saburra acida infantes et inter adultos hypocondriacos, hystericas, et chloroticos saepe infestat. Hic morbus e nutrimentis jam acidis, aut in fermentationem acidam pronis et id eo magis si digestionem languidam invenit, vel si inest nimia acidi gastrici oxydatio, originem ducit.

Incipit cum digestione debili, cum pressionis sensu ad ventriculum, cui spasmus gastricus subest. Ructus acidi, sapor idem, halitus foetens, soda, nausea, vomitus materiae acidae, tenesmus vel diarrhoea, pulsus duriusculus contractus inaequalis, dolor intestinorum urinae parcae et crudae sunt symptomata quae saepius aegrum molestant.

Cura incipitur ab evacuantibus inter quae emetica eliguntur, si in primis viis, saburra adhuc versatur; aliter eccoproptica et clysteres laxantes indicantur. Inter eccoproptica in tali

casu magnesia excellit. Tubo intestinali ab acidis liberato, amaris, amaro-aromaticis et praeparatis stomaticis utendum.

Colica ex saburra rancida, oritur ai sub organismi conditionibus, quae acido primarum viarum favent, oleosa et pingnia ingerantur.

Cognoscitur a ructibus rancidis, gastrodinia, et alvi fluxu quae omnia dolores colicos comitantur.

In cura juvant emetica, purgantia, et praesertim magnesia carbonica, decoctum fructuum tamarindorum cum cremore tartari solubile, sulphas magnesiae, infusum foliorum sennae, radix rhei cum magnesia; inde cura conficitur uti in colica praecedenti.

Colica ex saburra biliosa. A refrigerio et animi pathemate originem agnoscit, quibus hepatis functio concitatur, majorque bilis copia aecernitur. Aetatis tempore saepius occurrit et in regionibus calidis endemice grassatur. In primis appetitus prosternitur, sapor amarescit, lingua mucosa flavescit, tenduntur praecordia. Dolor abdominis vehemens et scindens est, sensus caloris interni, dysphoria, sitis aucta evadit. Vomitu copioso, viridesceus materia ejicitur, alvus est diaroicba, biliosa; urina colorem decocti coffaee simulat.

Ad banc colicam debellandam emetica optima praestant, si saburra sarsum turget, aliter alvum evacuantia praeferenda sunt. Inter

ecoproptica seligere praeceteris debemus pulpam tamarindorum, eassiae, prunorum, sales tartricos. Ad sitim sedandam ii praeferantur potus, qui modica acidi copia pollent; potus citratus, decoctum hordei cum aceto vini etc.

Colica mucosa eognoscitur a dolore obtuso, sapore oris fatuo, conatibus vomendi et vomitu mucoso, diarrhoea vel dysenteria mucosa, borborygmis, gravedine capitis, siti adaucta, cute arida et tandem a decursu lento.

Cura. Antiphlogistica et diaphoretica bene inserviunt. Si phlogosis in phlegmonosam inclinaret ad venaesectiones et hyrudiues confugiendum. Interne juvant purgantia mitiora uti essent eremor tartari, magnesia, oleum seminum ricini, sulphas sodae, sal anglicus cum tartaro emetico refracta dosi adhibitus. Externe conveniunt cataplasmata emollientia, clysteres oleosi et ad diaphoresim provocandam inservit calor moderatus et aequabilis; sinapismi et vesicantia aliquando quoque opem praebent.

IV. Colica verminosa. Juniores et praeprimis illos qui scrofulosam et sic dictam mucosam constitutionem habent legit. Diagnosis e circulis lividis qui oculos complectuntur, pupula dilatata, facie pallida pastosa, halitu foetido, largiori salivae fluxu, pruritu narium, praedilecto ciborum farinaceorum usu, abdomine expanso desumitur. Quod si in abdomine

dolor persentitur, rosionis instar, vagans, ad umbilicum saepius vergens, per vices intermittens et dein subito sine causa nota rediens; quod si post ingluviem ciborum ferocia dolorum mitigatur, si postrema in depositione stercoris partes vermium aut vermes integri eliminantur, certiores tunc sumus de colica verminosa pertractari.

Therapia. Paroxysmus enteralgiae verminosae, infuso valerianae, absinthii, lacte, oleosis, cataplasmatibus tepidis, inunctionibus anodynis, quibus oleum tanaceti vel absinthii addi potest, clysmatibus e decocto alii cepae in lacte, ex infuso valerianae etc. levetur. Post paroxysmum vermes ex organismo expediantur. Si ascarides sunt, seminibus cynae, tanaceti, radice valerianae et filicis maris, calomelano nec non drasticis generatim usi est. Si vero de tenia solio agitur, tunc decoctum corticis punicae granati, extractum radicis filicis maris aethereo-resinosum in pillulis et methodus Nufferiana suam merentur laudem. Vermibus expulsis diathesim emendare studeamus, quod pharmacis amaris et amaro-aromaticis perficitur.

V. Colica a calculis felleis. Haec quoque enteralgia hepatica, aliis icterica vocatur. Incipit cum plenitudinis sensu in cordis scrobiculo et gravedine in hypochondrio dextero, cutis externa et albuginea flavo tingitur colore;

urina fusca, excrementa grisea conspiciuntur, adest nausea, vomituritio, et vomitus, scapula dextera dolet, pes ejusdem lateris stupescit, vehementes dolores excruciant ventrem. Paroxysmi periodicum decursum observant, plures dies durant una cum vomitu et diarrhoea calculi ejiciuntur et sic saepe desinit morbus.

Therapia hujus morbi consistit in amotione calculorum et in lenimine symptomatum molestorum. Ad primum finem consequendum mixtionis aetheris sulphurici et olei terabinthinae ad partes aequales 10 vel ad 30 guttae aliquoties de die sumantur, et serum lactis superbibatur. Aqua calcis vivae, sapo medicinalis, natrum carbonicum etiam contra hos calculos commendantur. Ad dolores mitigandos, interne tincturam castorei, hyosciamum, opium: externe linimenta volatilia addito opio, vel oleum terebenthinae cataplasmata aromatica tepida et semicupia praescribera possumus.

V. Colicam flatulentam indicant, dolor frequenter vagans, tumor et tensio ventris resonans, borborygmi, interdum difficilis inspiratio, ructus copiosi et flatus qui secedunt cum levamine aegrotantis; pulsus aliquando normales, saepe contracti, et intermittentes; alvus clausa, et si alvus levatur feces duraa conspiciuntur; urinae pallidaa et parcae.

Raro sola aeris copia dilatans intestina morbum facit, sed saepe a spasmis alicubi in-

testina constricta aerem includunt intra quemdam intestinorum tractum, et calore loci se expandit atque in enorme volumen vertitur. Hypochondriaci et hystericae praeceteris colicae flatulentae occumbunt, nec non illi quibus digestio languet; in his enim gas acidum carbonicum et hydrogenicum facile evolvitur. Non raro usus ciborum et potuum, qui ad fermentationem proni sunt, uti farinaceorum, leguminum, oleraceorum, cerevisiae, vini immaturi, hanc colicam producit. Hinc inde per iram aut refrigerium excretio bilis nimia evadit, quod intestina irritat, ea spastice contrahit; simulque aer evolvens materiam exhibet, ideoque omnes conditiones ducit, quibus flatulentia spastica innititur.

In therapia primum convenit materiam fermentantem, aut eam, quae gas extricare valet, eliminare; inde aeri in intestino collecto exitum conciliare, postea intestina languentia roborare. Conveniunt rhabarbarina; remedia gas absorbentia, carminativa uti semina anisi, faeniculi, coriandri, phelandria aquatica, angelicae etc. Infusa, aquae, elaeosacchara, florum chamomillae, anisi, menthae crispae, melissae etc. spiritus nitri dulcis, liquor miner. anod. Hoffmanni et tinctura castorei. Externe praestant abdominis frictiones, innunctiones antispasticae, clysmata emollientia, oleosa, mucilaginosa, antispamodica.

VII. Colica nervosa vel spasmodica; sic dicitur quando dolor est mere nervosus, quin alia adfectio ei subsit. Accessus doloris consuete subito adparet, qui interdum vehementissime urget, ita ut a fortissimis viris gemitum eliciat; unicum aut plura abdominis loca occupat, et vagando exacerbationes servat. Pressione non augetor, quin imo mitigatur, spasticis intestinorum contractionibus, borborygmis, angore universali, et obstructione alvina stipatur. Pallet facies, dolore anguntur extremitates, pulsus est parvus, contractus, saepe inaequalis. Ab hac colica vexantur subjecti delicatuli, hypochondriaci, hystericae, vitam sedentariam agentes, studiis occupati, praesertim si animi pathemata vel refrigerium accedant.

In therapia si adsunt signa inflammationis in primis eam curare debemus. Dein si simplex fuerit spasmus, antispasmodica et narcotica interne et externe fomenta sicca, calida, aromatica inserviunt. Laudantur etiam balnea dein inunctiones oleorum balsamicorum, aethereorum, quae vim nervinam antispasticam possident.

VIII. De colica haemorroidali. Consuete molimina haemorrhoidalia praecedunt, nec sanguinis fluxus adparet; vel, si hic irruit, statim evanescit. Sequitur dolor entericus scindens, tendens, tactum recusans, praecordio-

rum tensio, elatio ventris, calor internus, anxietas, nausea, vomitus, alvina obstructio. Pulsus est citatus, parvus, contractus, intermittens, extremitates frigent, cardiopalmus, aurium susurrus, capitis dolor quoque adparent.

Causae occasionales, sunt vel remotae, vel proximae; ad remotas pertinent: refrigerium, pathemata vehementia, nimii corporis motus, potus calentes etc. ad proximas pertinet suppressio fluxus hemorroidalis.

Princeps remedium constituunt sanguinis evacuationes generales et locales, praesertim hyrudines ad ambitum ani adplicitae. Juvant quoque pediluvia tepida, cataplasmata emollientia ad os sacrum, interne olea oliv arum, amygdalarum dulcium, decocta mucilaginosa et emulsiones. Fracta inflammatione et remanente nimia sensilitate ad usum laurocerasi et extractum hyoscyami confugimus, quod ultimum bene administratur cum mucilaginosis et oleosis.

IX. Colica catamenialis. Irritabiles et plethoricos individuos seligit; cum menstruis parcis, vel suppressis exortis a refrigerio procedit, praesertim pedum, pathematibus vehementibus, nimiis corporis motibus, potu calente, si hic potus catameniorum tempore conceditur.

Dolor in hypogastrio praecipue persentitur, lancinat, lacerat et ad lumbos protenditur, adest dedolatio summa, gravedinis sensus in extre-

mitatibus, tumor et tensio mammarum, rubor turgorque faciei, aurium tinnitus, capitis dolor, vertigo, respiratio anxia, cardiopalmus, pulsus contractus, durus et frequens.

In therapia, si casus gravis est, venaesectiones indicantur. Bene faciunt hyrudines ad labia pudenda majora adplicitae, ut quae sanguinis fluxum ad uterum determinant; ad quem ultimum finem pediluvia acria, cataplasmata emollientia, similesque vapores genitalibus adhibiti prosunt.

X. Colica metastatica. Ab exanthematibus, impetiginibus, ulceribus aliisque morbosis processibus supressis ad intestina translatis originem petit. Omnia symptomata enteritidis in scenam ducunt.

Cura antiphlogistica in primis fere semper bene convenit; illud tamen efficiendum, ut processus morbosus ex intestinis ad primum organum minus nobile reducatur.

Nunc illis quae mihi proposui finem faciam. Adhuc plura de iis quae pertractare incepi dicenda forent, sed temporis angustia haud amplius incedere mihi permittit; et in clementia lectorum confido, ne judicium nimis severum de quibus dixi proferant.

FINIS.

Theses defendendae.

1.

Aequo procedunt pede humana corruptio et medicinae necessitas.

2.

Non semper ad syphilidem debellandam necessaria sunt mercurialia.

3.

Praeparata ferri semper agunt roborando.

4.

Anatomiae progressus chirurgos animosiores reddisse.

5.

Contra encephalitidem venae jugularis sectionem arteriotomiae temporali anteponendam.

6.

Hydropes activos a fame sanari.

7.

Non dantur morbi mere dynamici.